

**RESPONSIO**  
**BARTHOLOMAEI LATOMI**  
AD IMPUDENTISSIMA CONVITIA.  
& calumnias Petri Da-  
thæni.

**SCRIPTA FRANCKFORDIAE**  
in Conuentu Cæsaris & Principum  
Electorum Imperii, Mense  
Martio, Anno  
1558.

RESPONSI  
GARTHOLOMAEI LATOMI  
AD IMPERIALEM CONSISTAM  
AC CIVITATIS PONTIFICIS  
M. 1228

SCRIPTA FRANCIS FORD DIA  
in Conventu Cisterciensium ex Phagis  
Ecclesiastico-Monachico Magdeburgi  
M. 1228 Anno

030056538

RESPONSIO BARTHOLOMAEI  
Latomi ad impudentissima conuitia & calum-  
nias erroris cuiusdam Sacmentarii  
Franckfordiæ, qui se Pe-  
trum Dathænum  
nominat.

**M**Etuisti ne forum perderes in hoc tam celebri Conuentu, quisquis es Dathæne, si conuitia tua, quæ insolentissimè in me conceperas, vna hora tardiùs effudisses. Itaq; festinasti improbiūs, & ne qua facultas maleficendi periret tibi, me quoq; in extrema infestationis tuæ pagina, quam in alios institueras, hęrere voluisti. Sed ne sic quidem satisfecisti ingenio tuo, quin pessimè etiam te affectum fuisse scribis, quòd tēpore exclusus fueris, quòd minùs persequi omnia, proq; libidine tua, quæ incepte à me ac vanè scripta sint, refellere potueris. Sed nihil agis nugator, solidiora sunt fundamenta veritatis, quām vt à te conuiciatore vanissimo, tuiq; similibus labefactari possint. Obturbare potes, quantum fert libido tua, nocere certè apud æquos incorruptosq; iudices nō potes. An verò maledictis contumeliosisque vocibus tuis in me missis quicquam aduersum me

profecturum te esse sperasti? Vaniloque Rhetor,  
palpo Sacrificorum, Orator Cynice, Romani  
impostoris propugnator: hæ sunt voces, hæc fir-  
mamenta orationis tuæ. Cur non addis etiā, la-  
tro, grassator, infessor viarū, templorū direptor.  
An eadem opera hæc quoq; ingeri nō poterant?  
Sed & caninum opus appellas, quod adhuc re-  
tentum in officina tu aut improbè alicunde nā  
etis es, aut furtim excepisti. Bella certè metapho-  
ra ac te prorsus digna, quam à Canisii modestis  
simi viri nomine, perurbanè quidem, vt tū pu-  
tas, sed in tuum ipsius caput deduxisti. Nugas  
deniq; protritas, & ineptias aliunde mutuatas,  
& incondita deliramenta nāniis vetularum æ-  
quanda, aliisq; non ineptis minùs quām absur-  
dis vocibus appellas. Sed hoccine est responde-  
re argumentis, scripturas scripturis, testimonia  
testimoniis, rationes rationibus opponere? Pu-  
det me cōuiciatoris tam improbi. Et certè nihil  
respondere decreueram, sed contemnere impu-  
dentiam tuam potiūs, quām refellere, nisi veri-  
tus fuisset, ne si tacerem omnino, placeres tibi  
nugiundo, & re quasi benè gesta, maiore etiā  
conatu buccas illas tuas ventosissimas in alios  
inflare. Quanquām ne sic quidem fallis. Om-

nes intelligūt in maledictis tibi potiūs, quām in  
causa præsidium positum esse. Itaque cùm ad  
rem nihil respondeas, nihil intactum tamen in-  
conspicuumque esse finis. Cauillaris editionem  
meam, quòd non statim in lucem atque in ora  
hominū prodierit, eoq; suspectam fuisse dicis,  
nec addis tamen, qua de re suspectā. Quid ad te,  
bone vir, si ego in hoc celeberrimo conuentu,  
& temporis & verecundiæ meæ rationē habere  
volui, ne obtruderem scilicet omnibus, omni-  
umq; oculis ingererem, quod nō omnibus gra-  
tum fore sciebam. Tu certè nulla nec temporis  
nec personarum ratione habita, plūs quām sce-  
nica leuitate profluisti in medium, & vēditasti  
te tuis, & tanquām bellus antagonistā plausum  
etiam popularem non ex mea tantūm, sed alio-  
rum etiā, quos tu odisti, inuidia, quasi fructum  
quendam petulantiae tuæ captasti. Quid enim  
aliud quæfueristi, leuisime scurra, qui tanta cele-  
ritate properasti ad euomendum odium tuum  
in me in tam illustri frequentia, ut conatum eti-  
am tuum imperfectum relinquere (sicut tu ipse  
confiteris) quām occasionem perdere malueris.  
Serō ne putasti inuercundæ frontis tuę imagi-  
nem in conspectum non meum tantūm, sed il-

Iustrissimorum etiam Principum, quorum me  
palponem vocas, te osorem esse profiteris, ven-  
turam esse? præsertim cùm adhuc intra officinā  
lateret libellus meus, nec vel te, vel alium quen-  
quam ad iniuriam vllam prouocasset. Sed mit-  
to impudentiam, quæ omnibus odio esse solet,  
te, vt video, delectat. Cur me Rhetorem vocas?  
probrosum non est, scio. Nam & Rethores fue-  
runt multi in Ecclesia, qui ingenio & doctrina  
eandē illustrauerunt. Sed refert quo animo hoc  
dicas. Si serio, miror inconstantiam tuam, qui  
cùm omnia mihi adimas, vel tantillum hīc con-  
cedas. Sin illudis mihi, quod verisimilius est, si-  
milis tui es, neq; aliter facere potes. Atq; vtinam  
essem Rhetor, efficerē certè, vt mei diutiūs me-  
minisses. Sed quod addis, vaniloquum me esse,  
in te rectiūs conuenit, qui non vana minūs,  
quām absurdā & fingis in me nugator, & pro-  
veris venditas. Idem cauillaris epistolam meam  
ad Canisium, & Cynicum illum vocas, pulchrē  
sanè & ingenuè felix hominibus in canes trāf-  
formandis. Vnde & illud à te expectabam, vt la-  
pideum me Rhetorem vocares, quòd tam du-  
rus & obstinatus sim, nec Cōfessionistis me de-  
dam. Eiusdē falsuginis est, quo aspergis Auium,

siue

siue Auiā n̄ tem (vt tuā deprauatione vtar) quem  
socium etiam mihi vna cū Staphylo, arbitratu  
tuo facis.

Quòd Augustanos à cæteris separo, non  
excludo sectas, vt tu malè interpretaris, sed par-  
co omnibus, qui doctrinæ autores non sunt,  
inconstantiam Doctorum, & insolentiam in  
nostros, tantummodò reprehendo. Bellum ab  
eisdem nec opto, nec metuo. Conueniant ipsi  
primùm inter se, si possunt, deinde me appetat,  
sed accipient priùs iudicem, quām in mē mo-  
ueant, alioqui frustrà & ego cum illis, & illi me-  
cum certabunt.

Quòd mea, quæ scribo, plùs millies refutata  
esse dicas, falsum est, imò ne semel quidem, &  
expecto à te tuisque gregalibus, vt refutentur a-  
liquando, nō nudis contradictionibus, vt tu fa-  
cis, & tam mihi quām tibi, imò cuius etiam ra-  
bulæ paratum est, sed testimoniis scripturarum,  
non ad libidinē cuiusq;, sed ad normā Ecclesiæ  
Catholicæ & Orthodoxæ antiquitatis directis.

Acta Colloquii Vvormaciensis à me menda-  
citer narrari (ita enim loqueris) impudens men-  
daciū est, id quod palam fiet proximis Comi-  
tiis. Immò ne acta quidem narraui, sed depulsa  
tantūm-

cantummodò calūnia, testatus sum illud, quod  
alioqui ex discessu Saxonorum, & tunc vulga-  
tum erat, & hodie notum est omnibus, non à  
nostris scilicet, sed à vestris causam dissoluti Col-  
loquii profectam fuisse. Cætera quæ referuntur  
ibidem, partim ex decreto Ratisponensi sumpta  
sunt, partim ex libellis tam Sectariorum quam  
vestris, qui certè legūtur ab omnibus, nec quis-  
quam tam ignarus est, & à controversiis istis a-  
lienus, qui quæ iactantur inter vos scire negli-  
git, immò non potius studiose exquirat.

Quòd Staphylum præceptorem meum vo-  
cas, satis ostendis te peregrinari in Germania,  
vel potius, ut dicunt, hīc exulem esse, qui ne ho-  
mines quidem, quibus cum res tibi est, nec tem-  
pora eorundem, nec studia nosti. Doctū illum  
perhumanumq; virū esse, nuper cognoui, cùm  
essem Vvormatiæ, antè non videram. Amicitiæ  
inter nos neutrum pœnitet. Quòd me autem  
illi coniungis in hac causa, ita molestum nō est,  
ut equiore etiam animo iniurias abs te feram.

Illud scire cupio, cur cauilleris in professionē  
meam? An tibi mirum videtur, Iuridicum ho-  
minem (ut tua voce vtar) Theologiæ studiosum  
esse? Obsecro te, cur minùs quam Rhetorem,  
quam

quām Philosophum, quām Grammaticum, aut  
cuiusuis prophanæ artis Professorem? Vt rūm  
studia professionibus metienda sunt, an potius  
per se ipsa æstimanda? O imperitum & vanilo-  
quum obtrectatorem. Non nunc primū veni  
ad hēc certamina, si nescis, cum alio certè & gra-  
uiore hoste, quām tu sis Zoile, ante annos qua-  
tuordecim, & configendum mihi, quāmuis in-  
uito, & in eadem causa eisdemq; ferè de rebus  
depugnandum fuit. Vter superior fuerit, vel cef-  
serit alteri, nō dico, aliorum esto iudicium, mo-  
dò æquorum iudicium, te certè gregalesq; tuos  
nihil moror, qui quasi morbo quodam impe-  
dit, oculis quāmuis apertis, ne lucem quidem  
ipsam rectè aspicere potestis.

Quid te igitur fascinat, quò minùs studia  
mea libera esse sinas? Tuis nihil inuideo. Quan-  
tūmuis ineptus, proteruus, calumniosus, debla-  
terator, per me esse poteris, nihil impedio. Per-  
mitto etiam, vt vel solus virtutes tuas ames, &  
admireris teipsum, & grauiora etiā si collibue-  
rit, in alios designes. At si denuò inuaseris me, &  
pede collato rem nō verba in certamē attuleris,  
efficiam nugiendo, si potero, & si res digna ad-  
uersum te videbitur, vti re ipsa qui sim, Rhetór

ne an Theologus melior, non sine pudore tuo,  
experiaris.

Sed ad alia proprio. Frigidè probasse me ais,  
nostros non defugisse Colloquium. Quid pro-  
batione opus erat? aut hodie etiam opus est?  
Res ipsa docebit suo tempore, & cognoscetur  
non ex tuo vel ex meo testimonio, sed ex Actis.  
Quanquam nec ego hoc egi, vt probarē, quod  
verum esse negabam, quod abs te certè probari  
conueniebat, sed depuli tantummodò calum-  
niam, & causam dissoluti Colloquii, quę in nos  
conferebatur, in autores suos retuli.

Porrò tres defensores summi Pontificis (quę  
impostorem vocas) facis, meque vnum ex illis.  
Quærō ex te, bone vir, omnés ne, qui sunt in di-  
uersis remotisque nationibus, collegisse te pu-  
tas? Deinde Europam, ais, totam defecisse à Pa-  
patu, quod apertissimè falsum est, nisi Germaniam  
solam, ac ne totam quidem, Europam esse  
dixeris. Deinde, vt defecerit, quid tum posteā?  
Minus ne idcirco verū immotumq; erit, quod  
veritas statuit, si illud vel non approbat multitu-  
do, vel quod semel approbavit, rursum deserit?  
Quoties iactare soletis Ecclesiam veram nō nisi  
paucorum esse? nec circumscriptam tamen fi-  
nibus,

nibus, sed per orbem terrarum dispersam, nunc  
eandem contrahitis, ut vobis laxetis.

Ex uno ouo si prognati sunt tres assertores  
Romani impostoris, ut tu dicis, & Pontificem  
summum nomine te digno appellas. Item, qui  
vnum ex his audierit, aliorū cantum agnoscat.  
Mirum, quæ gallina fouverit ouum illud vnum,  
& ex eodem tres pullos excluserit.

Epilogum te aduersum me collegisse dicas,  
nec ego multis tecū agam, ne perdam tempus,  
& pariter inquierer omnibus inquinamentis  
tuis persequendis.

Tu nihil moraris titulū Ecclesię Catholicę, &  
tamen eundē tui affectant, sed frustrā, cùm nec  
esse, nec dici possit Catholicū, quod nuper natū  
est, & dissimiliter propagatum à paucis, & nūc  
etiam implacabili dissidio conuulsum.

Christum pernegare nos ais, verbum Dei  
abiicere, Sacraenta prophanare, innouare  
omnia, Neronem tyrannide superare. Mentiris  
impudentissime nebulo, nec erubescis, quæ in  
buccam illam fœtidam tibi veniūt, non solū  
contra tot pios, spectatosq; homines, qui & ma-  
nent in Papatu, & veterem religionem defen-  
dunt: sed contra mentem etiam, tuamque

ipsius conscientiam audacter pronūciare . Nec  
est opus hīc alia refutatione , cūm nec tu probes  
quicquam eorum , quæ calumniose obiicis , &  
mihi satis sit verba verbis , depulsionem conui-  
tio , veritatem mendacio oppondere .

Iam illud quale est , quòd dissidiis vos agita-  
ri negas , imò vt ego dico , diuisos vos distractos-  
que esse , & quidē tanto interuallo , vt ratio con-  
cordiæ sarcendiæ nulla inueniri possit . Et tamē  
hoc negas tu , meq; impietatis etiam , si Diis pla-  
cet , accusas , quòd illud ipsum ponere in libello  
meo ausus fuerim . De impietate igitur me accu-  
fas impurissime . Quid agā obsecro , aut qua re-  
ligione tantum piaculū eluam ? Violauī vnitatē  
Ecclesiarum vestrarum , consensum scidi , con-  
sensum insignem , inquam , vt tu ais , disertissi-  
mè testatum à vestris , callidè autem , hoc est ,  
Rheticè , vt tu interpretaris , à me dissimula-  
tum . O miserum me , vel ô te ineptum potiūs ,  
ac miserandum nugatorem . Vbi est obsecro , aut  
vbi vnquam fuit consensus ullus inter vos ? vbi  
& quando concordia inita ? Si ita est , vt dicis , si  
reintegrata est consensio vestra , quam nullam  
vnquam veram fuisse res ipsa ostendit , fateor  
me nimis supinum ignauumq; fuisse , quod &  
tu

tu mihi obiicis, qui non legi, non exquisiui, nō  
perscrutatus sum hæc omnia.

Sed quid ais confidentissime Phormio? miror, si ullam vel minimam particulam frontis adhuc habes. Mentitus sum tibi, quod scripsi, seetas irrepsisse in Augustanam confessionem, rem perturbatam, conuulsam, plenam dissidii & contentionis esse? Si nescistu vñus, quod omnibus notum, perulgatumq; est, lege libellos, lege epistolas tuorum priore anno circa Ianuarium & Decembrem mensem scriptas, visas mihi proxima æstate ante Colloquium, recens tam en nunc æditas. Has lege, inquam, vel solas: ut omittam cætera, quæ magni ponderis tamen, magnæq; testificationis sunt aduersus apertissima mēdacia tua. Quin & libellum illum ipsum lege, quem vestri ædiderūt statim à Colloquio, qui etiam mihi causam scribendi dedit. In quo sanè ita dolent vulnera sua Deputati vestri, ut nihil apertiū confiteri possint. Nisi tu fortè nō vestri, sed alieni corporis vulnera illa fuisse dicis. Nam hoc quoq; conari te video, cum dicis: vestros consensum Ecclesiarum vestrarum disertè testatos esse. Cur igitur doluerūt ipsi, si corporis sui vulnera non fuerunt? cur consolantur

**E**cclēsias suas, & hortantur, ne quis sinistra interpretatione causam duriorem faciat? Nam si nihil ad vestros pertinuerunt Saxonici, cur deputati fuerunt ad Colloquium ex partibus vestris? cur per dissensionem exclusi & palām con questi sunt de iniuria, & ante tēpus discesserūt? Sed nimis vrgeo impudentiam tuam, expecta Comitia, expecta, inquā, & sole ipso clariū patet, vtrūm ego verior scribendo, an tu infician do improbior fueris.

Reliqua multa quæ ponis tantūm, nec vno in loco, sed passim & idētidem inculcas, de fundamento Ecclesiarum vestrarum inuincibili, de infirmo fundamento Papatus (verbis tuis vtor) de matura resipiscētia Papistarum, de sententiis Patrum, quas vestri exosculentur etiam, si modò consentiant cum scripturis: nudę assertiones tuæ sunt, nullo nec testimonio probabili, nec argumento adiutæ, qualia ferè omnia tua sunt, contracta vndiq; ex locis vestris communib; & hīc temere, sine ordine, sine ullo colore veritatis, inculcata.

Quod autem Patrum sententias, aliorumq; recte dicta, vos libenter amplecti dicis, si modò cum scripturis consentiant, vetus vestra & ad nauseam

nauseam usque frequentata cantilena est, quoties arrogantiae crimen timetis, quam occinere mihi etiam solebat Bucerus, & vestri cecinerunt ab initio secessionis, & posteà semper, quoties vngabantur Patru sententiis, & tu mihi nunc occinis. Sed quæro abs te, qualis & quanta sit ista apud vos Patrum autoritas? cui verbo quidem ius podusq; suum tribuitis, re ipsa autem eandem ad arbitrium libidinemque vestram reuocatis, ita ut si velis tu nugator, aut aliis quilibet de grege vestro, valeat Augustini, Cypriani, Theophylacti autoritas: si nolis, parumque commodum tibi sit, non valeat. Negas veterator? Cur addis igitur, si sententia cum scriptura consensit. Aut quenquam vel mediocriter sanum, ne dum doctum ac studiosum hominem, aliter sentire, ac refragari dicto tuo putas? Cur igitur caues tibi hac limitatione? quasi quisquam sit, qui nullius hominis placitum vel decretum aduersus scripturam recipiebat esse dicat? Non est haec causa, non est: non enim ut statuatur autoritas Patrum, cautio ista inuenta est, sed ut destituatur potius, nec rata sit vñquam, nisi vobis placuerit. Quamcunq; enim vel grauissimi Doctoris sententiam attulero, si vngeris te fenseris, clamabis

clamabis refragari scripturæ , & si negauerō, in-  
terpretaberis locum arbitratu tuo, dicesque au-  
thorem, quantumuis veterem & approbatum,  
hominem fuisse, lapsum fuisse, errasse, quasi &  
tu autoresque tui ( quod multò proliuus cre-  
dibiliusq; est) errare, labi, falsum defendere, con-  
traque mentem interim & conscientiam loqui  
& sentire non possitis. Vana est igitur iactatio  
vestra de Patribus , quòd multum eis tribuatis,  
quòd sententias eorum amplectamini, quòd ni-  
hil eorum, quæ scripturæ consentanea sint, re-  
spuat. Cùm hæc omnia eò recidant, si vobis  
commodum sit, aut si ita apertus sit scripturæ  
intellectus, ut sine manifesta calumnia dissimu-  
lari non possit. Quòd si vagetur, nec certis con-  
sistat interpretationis finibus, quid certi obse-  
cro ex vlla scriptura confici poterit? At vos ni-  
hil certi recipitis, ac ne relinquitis quidem, qui  
vobis solis verum & infallibilem intellectum,  
non obscurè, sed apertissimè usurpatis, contem-  
nitis alios, qui à vobis dissentunt, vos solos Do-  
ctores Ecclesiæ, solos interpretes scripturarum,  
solos iudices in causis vobiscum controversis,  
facitis, id quod nullo modo tamen nec concedi  
vobis, nec ferri potest. Quid habes igitur h̄ic,  
bone

bone vir, quod respondeas? Si ista non satisfaciunt tibi, lege libellum meum diligentius, de autoritate Prælatorum Ecclesiæ, de donis Spiritus sancti, de ipsa Ecclesia, quæ & ubi sit, & de intellectu scripturæ. Sed tu contemnis ista, & dicas protrita, profligata à vestris, responsione indigna esse. Profer igitur meliora, si potes, & acquiescā tibi, Rhetor Theologo, palpo vaniloquus Babylonicorum somniorum enarratori.

Cæterū quod dixi ibidem de Prælatis Ecclesiæ, illis non obediendum tantum, sed de scripturis etiam & tota religione credendū esse, citauit testimonia, perulgata quidem, ut tu cauillaris, vera tamen ac propria huius loci, & omnium euidentissima, quibus oblatrare tu quidem, refellere ea certè nunquā poteris. Addidi limitationem, quomodo illud quod de præceptis & doctrina Prælatorum dixeram, intelligēdum esset, quod tu calumniator tamen malitiose dissimulasti, & deprauasti locum illum maligna interpretatione tua, meq; apud populum tanquam absurdum ineptumque nugatorem, quantum in te fuit, falso traduxisti.

Quòd tu me versa vice, ac tuo vero nomine, calumniatorem appellas, non uno in loco, sed

C

quoties

quoties tibi collibuit, meque in his rebus, quae  
testatae sunt multis, manifestae omnibus, quaeque  
in os illud impurum tibi dentesque; putridos, si  
opus sit, cum pugnis etiam ingeri possunt, men-  
tiri dixisti, tale est, ut optimi cuiusque sententia,  
si in alium vndeque, in te certe verissime competat.  
Negare enim tu, & calumniam etiam appellare  
audes? quod scripsi Augustanam Confessionem  
mutata plerisque; in locis, adulterataque; esse? Quid  
si ego ostendam tibi, atque; in oculos etiam illud ip-  
sum, si aliter videre non vis, impingam. Vide &  
confer aeditiones diuersis temporibus factas, non  
nunc primum a me, sed in priore etiam Colloquio  
Vvormatiensi, quod Anno 1540. celebratum  
fuit, a nostris notatas, & ad Commissarios Imper-  
iales, qui tunc praesidebant Colloquio, relatiss:  
vide inquam, ac perspice, & inuenies, uter inter  
nos calumniatoris appellatione dignior sit, tu  
qui verbo tantum obiicis improba mendacia,  
an ego, qui eadem re ipsa euidentissime refello.

Ignorare me arguis, qui sint Sacramentarii,  
quia scripsi Zuinglianam sectam inter ceteros  
irrepsisse in Augustanam Confessionem, item  
Confessionarios plerosque; ex his etiam, qui Vvor-  
matiensi fuerunt, de eadem suspectos fuisse. Quid?  
tu me

tu me fungum ac stipitem facis? veram rem esse  
nouerunt omnes, & scriptis etiam ante Collo-  
quium editis, probari potest: quæ si non legisti  
tu, aut dissimulas fortasse, quod magis credo,  
noli calumniari ignota me scribere, quæ cum  
ingrata sint tibi, tuisq; aduersa, non habes aliud  
quod dicas, nisi quod ignorantiae me ac temer-  
tatis condemnas. Qui sint veri Sacramentarii,  
solí ne, qui symbola tantum constituunt an alii  
etiam, qui cū pane & vino in Eucharistia, filium  
Dei coniungunt, tu blatero videris, qui cum  
superbis nouatoribus tuæ factionis defecisti à  
veteri Ecclesia, doctrinamque verissimam, non  
recentium Doctorculorum, ut tu vocas, sed ve-  
terum clarissimorum luminum Ecclesie, id quod  
re ipsa, si tu negaueris, probari potest, impuden-  
tissime proiecisti. Non enim, si transsubstantia-  
tionis vocabulo, quod postea in scholis natum  
est, in Lateranensi Concilio receptum, veteres  
vsi non sunt, idcirco rem ipsam, sensumq; eun-  
dem veritatis, non tenuerunt. Cyprianus, Augu-  
stinus, Ambrosius, Theophylactus, quoties di-  
cūt, in hoc tanto mysterio panē & vinū in cor-  
pus & sanguinē filii Dei mutari? Et Cyprianus  
disertè: Panis iste, inquit, omnipotentiā verbi fa-

ctus est caro Christi: qd clarius aut significatius de transmutata substacia dici potuit? Quid quod Theophylactus verbo ipso transelementationis vtitur, cum dicit res illas transelementari, quod ne more tuo fingere me putes, confer Graeca cu cum Latinis, & explora, vtrum vera dicam, an hic etiam vaniloquus deprehendar?

Longius procurrit oratio, quam institueram, quare inhibendum est, si tamen prius vnu protulero, quod praterire non possum. Nihil te pudet, quod deprauasti sensum verboru meorum in distinctione literu & vocis, à vero germanoq; sensu scripture, eò quod viu illum, metaphora à viuis frugiferisque rebus sumpta, literam vero seu vocem, quasi imaginem quandam mentis mortuam ac vita carentem appellauit? Quid te hic offendit Fanaticus? cur me Suenckfeldianum facere conaris? an alia verba mea ibidem posita non satis declarant, quid senserim? Non enim de filio Dei hic locutus sum, qui propriè viuum & consubstiale & coæternum verbum Patris est, sed de intellectu scripturæ, id quod disertè etiam expressi. Sed ita est ingenium tuum, neq; aliter si velis, aliter tamen pro morbo animi, infectaque mente tua possis.

Sed

Differentia Inter  
Textam. Sive Vocem.  
& Verum sensum  
Scripturarum.

Si huiusmodi  
diagramma se  
exclusat.

Sed quid restat? longius ne progrederar in cō-  
fectandis calumniis ineptiisq; tuis. Certè nihil  
video, quod repressis profligatisq; iis, quæ præ-  
dicta sunt, non pariter corruat. Illud tamen mi-  
ror, cùm in his quæ tu protrita milliesq; refutata  
esse dicis, plūs satis tamen occupatus fueris, cur  
nihil, ac ne verbum quidē ullum mihi de iustifi-  
catione, de libero arbitrio, de originali peccato,  
de iusticia imputatiua, de intellectu scripturæ,  
de bonis operibus, aliisque præcipuis magniqli-  
mōtēti rebus, in quibus vel prima fundamēta  
doctrinę vestrę sita sunt, respōderis? Sed tu Rhe-  
toricē magis, inquis, illa, quām Theologicē tra-  
ctasti, nam ita posuisti in libello tuo: O censor  
Aristarche, quæ protrita tibi & vulgaria paulo  
antē videbantur, eaq; tanquā Rhetorica, curaql;  
tua indigna, fugisti verius quām contēpsisti: nūc  
ea, quæ verissimē Theologica esse negare nō po-  
tes, ne digito quidem attingis, vocas mendacia,  
temporisq; angustia excludi te dicis. Hoc est di-  
ctis aduersari? scripturis & argumentis respon-  
dere? Quid te ineptius ac nugacius dici potest?  
mendaciis calumniisq; improbis totus libellus  
tuus ita scatet, vt nihil in te aliud esse, sed ex eis-  
dē totus cōpactus conflatusq; esse videaris. Quæ

enim defensio tua est? impiū mendaciū Rhetoris vaniloqui , Nostra causa bona est, A nostris approbata est, Nostri detestantur Romanū impostorē, impiamq; doctrinam eius nuper inuentam reiiciunt, Amplectuntur Propheticas & Apostolicas scripturas, Patrū sentētias, si cum eis dē consentiant, exōsculātur . O causam bonam & inuincibilē, quæ à tali Oratore defenditur, q̄s est vel improbissimus rabula , qui causam non vicerit vel deploratissimā, si talis actio recipiat?

Hæc sunt , quæ tibi paucis respondenda esse duxi Dathæne, non pro voluntate mea, sed pro merito tuo. Quod si modestius egisses erga me, modestiora accepisses . Nam qui in alios dicit, quæ vult, persæp̄e audit, quæ nō vult. Nunc conditionem istam optimo cuiq; fero, vt si de causa mecum contendere velit , de causa & agat: si in conuitiis maledictisque certare maluerit, tales experietur, qualem prouocabit. Quāquam nec temerè me, nec à quo quis prouocari velim , cùm & temporis mihi & ocii ratio habenda sit. Illud gratissimum fuerit , si quis experiri voluerit, vt beueuolentia potiūs & veri querendi studio, quām iniuriis & offenditionibus mecum contendat.



